DISPUTATIO DE MONETIS ET RE NUMMARIA, AD S. ROMANO-GERMANICI IMPERII VSUM...

Peter Papius, Peter Olandt

Digitized by Google

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO DOMINO,

D. IOANNI GODEFRIDO, BAMBERGENSI ET WIRCEBVRGENSI EPISCOPO,

Franciæ Orientalis Duci, Sacri Romani Imperij Principi, Domino ſuo clementiſſimo.

IN hoc naſcentis anni auſpicio, ad aras tuas plurimi, ob rem, domi, forisq́; fœliciſſimè geſtam, plenis, vt par eſt, encomiis litare conabuntur: verum his, quantumuis eloquentibus, non dubito, illud idem, quod mihi nunc accidit, eueniet; vt præ nimiâ geſtorum tuorum copiâ, rem ſuis cothurnis ſuperiorem, non iniqui re-

rum æſtimatores ſint iudicaturi. Si enim quis ſolum in tantis vndiq; periculis, dum inteſtinis hiſce malis Germania colliditur, animi tui fortitudinem, pro merito deprædicare conetur; onus ſe humeris ſuis impar aſſumpſiſſe, ingenuè profiteri debebit. Attentet aliquis, & quouis eloquentiæ flore, ob patriæ ſtatum conſeruatum, in laudes tuas exſurgat, accepto prudentiæ tuæ ferat, vt omnes (niſi mortalium ingratiſsimi haberi velimus) facere debemus, quod vndiq; flagrantibus bellorum incendiis, ſani, ſalui, non viuamus tantũ, & ſpiremus, ſed noſtris etiam, quantum per has temporis iniurias humanitus fieri potuit, vtamur fruamur: Decantet pro viribus, non hanc ſolum, ſed omnes illas tuas Epiſcopo digniſsimas, ab Apoſtolo enumeratas virtutes, tantum adferet rebus à Celſi. T. præclarè geſtis gloriæ, tantum fulgentibus illis, in tuarum virtutum cœlo, ſtellis procurabit ſplendoris, quantum quis meridiano, lucentiq; ſoli,

accen-

accenſâ faculâ luminis ſolet conciliare. Quid ergo mihi, qui inter clientulos minimus, inter Muſarum ſacris initiatos vltimus, inter illos, qui de rebus ornatè & appoſitè dicere norunt, nec balbutiens, quid inquam, mihi faciendum? Tacendum erat, ne viderer giganteâ audaciâ in cœlum creſcere, & Icari more, nimium ſublimia infirmis pennis petentis, in imprudentiæ mare me præcipitare velle.

Ita decreueram, niſi non minor animi vis, & impetus, quam qui olim Cræſi filium, à naturâ mutum, in voces animauit, ex imis pectoris præcordiis meam hanc, tanquam deuotiſſimam animi teſſeram, Reu^ma. Ill. C. S. offerendam, expreſſiſſet. Illo hoc noſtro, iam ad finem decurrente anno (patiatur Reu^ma Ill. C. S. Clientem verbum vnum loqui) hoc inquam anno, quo C. S. ita pro patriæ ſtatu, & ouibus ſuis, quotidie apud Deum intercedebat, quaſi nihil in humanis viribus eſſet præſidij, ita anxiè omnia de-

ſenſionis media conquirebat, quaſi hiſce imminentia pericula euaſuram ſe ſperaret; illo inquam tempore, quo vix reſpirandi otium erat, de me tamen, & meis ſtudiis, clementiſsimè inquirere, & vt alacri animo pergerem, per Reu^mum. Suffraganeum adhortari non fuit dedignata. O mihi inſolens, & quamdiu vitâ ſuperſtes ero, nullâ obliuione obliterandum exemplum! Tantum Principem, duabus infulis coruſcantem, pro ſalute ouium æſtuantem, inter medias negociorum vndas, ſui pauperculi alumni memorem eſſe. Hoc verè eſt, non Principem tantum, ſed Patrem agere, non pro vniuerſis, ſed etiam ſingulis excubare, & vt vno verbo dicam, eò aſcendere, quò humanam curam & ſollicitudinem peruenire non poſſe, imprudens antea exiſtimaueram. Ego, vt ſaltem deuotiſsimi gratiſſimiq; animi indicium oſtenderem, cum Diogene dolium meum verſans, catuloſq; imitans, qui matrem, quam morſu

nequeunt,

nequeunt, latratu iuuant & curſu; haſce de re Numaria theſes, O vtinam vel oculo tanti Principis dignas, Reu^ma. Ill. C. S. offerre, & auſpicatiſsimũ recurrentis anni ingreſſum, humillimè precari volui. Deum O. M. rogans, vt Reu^mam. Ill. C. S. Eccleſiæ, Patriæ, nobis omnibus in Neſtoreos annos ſoſpitet. Dabam ipſo Sancti Thomæ feſto, Anno à reparata ſalute cIↃ IↃC XXI.

Reuerendiſs. Ill. C. S.

Humillimus Cliens
& Alumnus

M. PETRVS OLANDT
I. V. Studioſus.

DISPOSITIO.

DE Monetis, & re numariâ, materiâ, ob difficultatem intricatâ, ob neceſſitatem vtiliſſimâ, & afflictum patriæ ſtatum quotidianâ; quædam diſputationis aleæ, explorandæ veritatis cauſâ ſubiecturi, pro maiore luce, eam totam duobus diſtinctis capitibus, quorum primum tam nominum energiam & proprietatem, quam cudendæ Monetæ originem & praxim; alterum Quæſtiones in hoc genere occurrentes methodo aliquâ, pro virium tenuitate comprehendet.

CAPVT PRIMVM.

THESIS I.

PECVNIÆ nomen, latitudine ſuæ ſignificationis, omnes res, tam ſoli, quam mobiles, tam iura, quam corpora comprehendit (*a*): ſtrictiore acceptione, res fungibiles, quæ pondere, numero, menſurâ conſtant (*b*);

in

in ſtrictiſſimâ, monetam aut numum deſignat (c).

(a) Varrone teſte à pecu dicta eſt; cui conuenienter Columella lib. 6. in præfat. tradit, in ruſticatione, antiquiſſimam eſſe paſcendi rationem, propter quod nomina quoque pecuniæ, & peculij tracta videri à pecore, quod non ſolum apud veteres, ſed etiam adhuc apud quaſdam gentes, hoc vnicum diuitiarum genus vſurpetur: pulchrè Ouid. lib. 5. Faſt.

Cætera luxuria, necdum inſtrumenta vigebant,
Aut pecus, aut latam diues habebat humum.
Hinc etiam locuples, hinc ipſa pecunia dicta, &c.

Nec obſtat locus Plinij, qui lib. 18. cap. 3. naturalis hiſtor. & lib. 33. cap. 3. ſcribit, pecuniam à pecudum notâ, quâ primum æs ſignatum fuit, nomen traxiſſe; nec Plutarchi in Publicolâ aſſerentis, in vetuſtiſſimis numis fuiſſe ſignum ouis, & ſuis bouisque conſpectum; quod veriſimile ſit in ipſo cudendæ monetæ primordio animalium imagines expreſſas fuiſſe, vt in hoc emendi genere adhuc rudes homines, intelligerent, bouis imagine ſignatam metalli bracteam, tantum in venditione valere, quantum bos in permutatione valuiſſet; ſimulque inde tractum, vt in æſtimatione rerum, aliquid valere diceretur centum, vel ducentis bobus. Plutarchus in Theſeo. Ita vt Varro rectè dixerit,, à pecudibus pecuniam appellari, nec Plin. inconcinnè à pecudis imagine eandem deriuarit. (b) l. rei appellatio 5. l. tantum 88. l. cum ſtipulamur 97. l. pecuniæ. 178. l. pecuniæ. 222. ff. de V. S. l. ſi vero 64. §. fin. ff. ſoluto matrim. l. penult. C. de conſt pecun. Ecloga 2. c. 178. (c) l. 2. §. creditum ff. d. rebus cred. l talis ſcriptura 30. in prin. ff. de leg. 1. Corraſ. miſcell. IC. lib. 2. cap. 11. Tiraq. de retract. gent. §. 1. gloſſa 14. num. 4.

Moneta (*a*) ſiue Numus (*b*) definiri poteſt, vt ſit metallica (*c*) bractea, vel lamina *(d)*, ſuperioris iuſſu (*e*) pro commodiore rerũ permutatione *(f)*, ſignata, æſtimataq́; *(g)*.

(*a*(A monendo dicta, quod nos ſigni impreſſione, vel autoris, vel pretij, alteriuſuè rei moneat. Corraſ. miſcell. iuris lib. 3. cap. 1. nu. 3. & hâc ratione veteres, Monetam Deam eſſe dicebant, quæ pecuniæ curam haberet; grauiter animaduertens in eos, qui dolum malum in pecuniâ committerent. Eodem nomine, quandoque IVNO appellata fuit, quod Romanos monuiſſet, qualis ad placandos iratos Deos procuratio fieri deberet. Cicer. lib. 1. de diuinat. & Saluator in Euangelio, oſtenſo per Phariſæos numiſmate, quærebat, cuius eſt hæc imago & inſcriptio, &c. inſinuans, per inſcriptionem & imaginem nos moneri. (*b*) dictus, non à Numa rege, vt malè exiſtimauit Ioan. Aquila in tract. de Moneta, ſed ἀπὸ τοῦ νόμου à lege; nam cum antiquioribus temporibus omnia fierent permutationibus, certâ lege vſus numi fuit adinuentus, quo, tanquam normâ & regulâ, res apte ad parilitatem adducerentur: vt teſtatur Ariſtoteles lib. 5. Eth. cap. 5. & Polit. lib. 1. cap. 6. cui conſentit IC. l. 1. in princ. ff. de contrah. empt. in l. ſi ita fideiuſſorem. 42. ff. de fideiuſſoribus. Fran. Marcus quæſt. Delphi 889. (*c*) hodie quidem plerumque, vel aurea, vel argentea, vel ærea; priſcis autem temporibus etiam ex alijs metallis numos cuſos fuiſſe indubitatis antiquitatis veſtigiis deprehenditur: Romanos ex orichalco numos fabricaſſe Plautinus ille miles indicat, vbi dicit:

Credo tres mihi homines, orichalco emptos
Iſtis moribus:

Plum-

Plumbeos etiam in vſu fuiſſe ex eodem Plauto in Caſſ. eſt colligere. Cui inquit hodie peculij numus non eſt plumbeus? item in trinumo.

Numum nunquam merebor plumbeum:

Item in Moſtellar.

Tace, inquit, *tu faber, qui cudere ſoles plumbeos numos.*

Et Martial. lib. 1.

Centum merebor plumbeos toto die.

Et lib. 10.

Vt conuiuia ſumptuoſiora,
Totoq́; ſemel paras in anno,
Nigra ſordibus explices moneta,
Et ſeptem veteres tui ſodales,
Conſtemus tibi, plumbea ſelibra.

De Ferrea moneta ſcribit Plutarch. in vita Lycurgi. & Plin. lib. 33. cap. 9. Ariſtot. Oeconom. Item Dyoniſium Tyrannum ſtanneam feciſſe narrat Tiberius Decianus in tract. crim. lib. 7. cap. 23. num. 10. In caſu neceſſitatis, & extra eum, etiam ex rebus non metallicis numiſmata ſignata fuiſſe, patet ex hiſtorijs; ita Volat. in cap. 2. OEconom. Ariſtot. tradit chartacea facta fuiſſe. Hatto Armæn. c. 1. ſuæ hiſtor. & ex eo Aubanus lib. 2. cap. 8. de moribus gentium refert Cathainos Tartaros non habere alios, quam chartaceos numos quadratos, regisq́; ſigillo impreſſos, quos, vbi vetuſtate abſumi cæperunt, in aulam referunt, & pro vetuſtis, nouos recipiunt; Eumq. morem videntur ſuperiori ſæculo imitati, obſeſſi Lugdunenſes Batavi, Anno 1574.

Inſuper ex verbis Senecæ lib. 5. de benef. cap. 14. patet, Lacedemonios etiam corium, forma publica percuſſum habuiſſe: horum exempla imitati fuerunt Michael Dux Venetorum, in expeditione Aſiaticâ; Sabell. lib. 4. Galli ab Eduardo in agro Dictonũ fuſi. Froſſar. lib. 1. annalium. Fredericus ſecundus, ab expeditione Hieroſolimitanâ redux, Summont. lib. 2. hiſtoriæ Neapolit. Wilhelmus Primus Siciliæ Rex, Facell. & Ioan. Villan. in hiſtor. Nea-

politana (*d*) Laurent. Valla lib. 4. elegant. cap 57. Laminam & bracteam ita differrę vult, quod lamina craſſior ſit, & armaturæ conficiendæ apta; bractea tenuior, & ſua ſponte plicabilis. Virg. lib. 6.

Sic leui crepitabat bractea vento.

Solerentque ſtatuæ bracteis inaurari. Mart.

An magis aſtricti deraſa eſt vngue miniſtri
Bractea, &c.

Nos tamen, hanc ſubtilem diſtinctionem, in populari hac noſtra philoſophandi ratione vix admittimus. (*e*) vt dicemus infra theſi ſeptima (*f*) quam rem eleganter deducit Paulus in l. 1. ff. de contrah. empt. Ariſtoteles lib. 5. Ethic. cap. 5. & Polit. lib. 1. cap. 6. (*g*) quamuis enim ad monetam quatuor requirantur, materia, forma, pondus & æſtimatio, vt innuit Paulus in l. 1. in prin. ff. de cōtrah. empt. & partim colligit Gloſſa in cap. quando, in verbo patris extra de iureiurando, recolitque Carolus V. in conſtitutione criminali art. 111. in prin. Sixtinus de Regalibus cap. 9. n. 33. Poſtremum tamen hoc videtur hac in re principale eſſe, ita vt Ariſtoteles lib. 5. cap. 8. Eth. ab æſtimatione totam numiſmatis vim dependere, autor ſit.

III.

Numi vſum, vt antiquiſsimum, à filiorum Adę temporibus, quidam deducunt (*a*): A quibuſdam Thares pater Abrahæ eiuſdem inuentor conſtituitur (*b*): alij Saturnum, Ianum, Erychthonium, aut alium quempiam nominant (*c*). Nobis ſatius eſt pronun-

nunciare. N. L. *(d)*. quiſquis tamen autor eſt, eundem rem Reipub. magis commodam, quam vtilem inuexiſſe, intrepidè affirmamus (*e*).

(*a*) Hoc argumento, quod apud Ioſephum legant Cain multitudine χρημάτων, domum auxiſſe: ſed infirmum argumentum eſt, quod eadem vox apud Græcos non minus, quam pecunia apud Latinos variet. (*b*) Alb. de roſat. in l. 1. ff. contrah. empt. vbi narrat, ſe in ſcriptis cuiuſdam magni religioſi ordinis FF. Heremitarum legiſſe, triginta illos Denarios, pro quibus Iudas Saluatorem tradidit, fuiſſe primos denarios, quos Thares pater Abrahæ, optimus faber, ad petitionem Reg s Nini, filij Beli, fabricauit: veritas penes authorem eſto. Certè Abrahami temporibus, pecuniam ſignatam in vſu fuiſſe, ex Geneſi cap. 23. diſcimus, vbi Abrahā appendit, quadringentos ſiclos argenti, probatæ monetæ publicæ. (*c*) de Saturno teſtatur Eutropius, de Iano Macrob. de Erychthonio Plin. lib. 7. naturalium hiſtor. cap. 56. Videantur Pol. Virg. de rer. inuent. cap. 20. Alexan. ab Alexandria Geniai. dier. cap. 5. lib. 4.

Apud Romanos primus Seruius Tullius æreos numos percuſſit. Plin. lib. 7. natural. hiſtor. cap. 3. Argentum ſignatum eſt Anno VC. 484. quo tempore Q. Fabius conſulatum gerebat; Aureus anno 546. T. Q. Criſpino & M. Claud. Marcello Conſſ. cuſus eſt. Couar. de veter. numis: collat. cap 3. in prin. (*d*) quod enim Iudices in re obſcura pronunciabant ſibi non liquere l. Pomponius 14. §. fin. de receptis. Gellius lib. 14. Noct. atticar. cap. 2. Id multò magis hîc, in re, vbi hiſtoriarum fide deſtituimur, faciendum eſt. (*e*) huc pertinent tot veterum Philoſophorum Poetarumque ſententiæ, quæ de abuſu auri, argentique conceptæ ſunt; tot SS. PP. teſtimonia, quæ omnia recenſere ſuperuacaneum eſt. videatur Rener. Budælius de Mo-

net. & re Numar. lib. 1. cap. 3. Certe Plinius d. cap. 3. lib. 33. non veretur, illum ſceleris arguere, qui auri vſum, tam in veſtimentis, quam numis cudendis inuenit.

IV.

Conſiſtit autem hic vſus in expendendo *(a)*; Expenditur ratione duplici, numerando, vnde numerata *(b)*, item appendendo, vnde appenſa pecunia dicitur *(c)*. Hinc apud Hebræos, Græcos, Romanos, idem nomen ſæpè pondus, & eiuſdẽ ponderis monetam ſignificat *(d)*. Nobis ponderum & numorum diuerſa nomina ſunt *(e)*.

(*a*) Hoc eſt erogando; ideo numus functionem in genere recipit Cuiac. in parat. ff. de rebus cred. Mutuum enim damus recepturi non eandẽ ſpeciem, quam dedimus (alioquin commodatum erit aut depoſitum) ſed idem genus. Paulus in l. 2. ff. de reb. cred. (*b*) §. item precium. inſtit. de empt. & vend. l. fin. C. de condict. cauſa data cauſa non ſecuta. (*c*) quatenus appendere eſt ponderare. Cic. in Antonium. vt iam appendatur pecunia, non numeretur, &c. Priuſquam olim Romani, argento ſignato vterentur, quod Plinio teſte ante Pyrrhum regem deuictum non fecerunt, infectum argentum appendebant, & pro euitandâ fraude ponderis, conſtituebantur libripendes, quorum meminit text. in prin. t. inſt. de teſt. ord. Huiuſq; rei veſtigium ad ſua vſque tempora permanſiſſe, refert Varro lib. 4. de ling. lat.

ſub

ſub finem dum ait, Trutinam propter penſationem in æde Saturni poſitam extitiſſe: hæc appendendi ratio ad euitandas arroſionis fraudes, Imperatorum temporibus iterum reuixit; conſtituti enim erant per ſingulas ciuitates Zygoſtates, ſiue vt alij Zygoſtatæ, ita nominati quod ponderum & ſtaterarum rationem optimè callerent, vt tradit Alciat. ad fin. C. de ponderation. & auri illation. qui ſua fide atque induſtria, fallaciam omnem amouerent. Horum locum, noſtro ſæculo, ſupplent Bilances iſtæ, quæ pro explorando aureorum pondere frequentantur. (*d*) ſic Siclus, apud Hebræos, & pondus erat, & numus licet poſterioribus temporibus, numus videatur tantum fuiſſe, dimidij ponderis. Apud Græcos Didrachmum pondus duarum drachmarum, ſiue quarta vnciæ pars; drachma octaua pars vnciæ, ein Quintlein. Apud Romanos as libram vnam in pondere ſignificabat, ſicut & numum, licet poſtea aſſes numi valde diminuti fuerint. Couarr. coll. vet. numiſt. cap. 1. num. 5. (*e*) noſtrum pondus appellatur Marchus ſiue Marcha, octo habens vncias, ſiue ſexdecim lotones, triginta duas quintas: hæc marcha eſt duplex, vna vocatur Colonienſis, altera Troſica; prima appellatur à ciuitate Colonienſi, vſurpaturque in Romano Imperio, altera plerumque extra illud. Rener. Budæl. de re monetar. lib. 1. cap. 15.

V.

Numorum corpora, apud diuerſas gentes, olim fuerunt (*a*), & nunc ſunt varia (*b*). Germanis noſtris hæc magis vſitata, Ducatus (*c*), coronatus (*d*), Florenus aureus Rhenenſis (*e*), Thal-

lerus, isque diuiſus *(f)*, Florenus *(g)*, ſextans vulgò Schreckenpergerus*(h)*, Crucifer (*i*), Pfenningus (*k*), Hallerus (*l*).

(*a*) Apud Hebræos, in vſu erat numus argenteus obolus: Rudolph. Agricol. lib. 2. de pond. monet. huius mentio fit Leuit. cap. 27. Erat & alius, qui à Ioſepho lib. 30. antiq. cap. 10. & lib. 7. de bello Iudaico. cap. 26. Siclus ab Hebræis Sakal, vel vt Couarr. de vet. numiſt. coll. cap. 2. num. 9. Sicel nominatus; isque erat duplex, vnus ſiclus ſanctuarij, ex eo appellatus, quod quiſque Iudæus teneretur domino huius ſicli partem dimidiam offerre. Exod. c. 30. Continebat autem 20. obolos, Leuit. cap. 27. Exod. cap. 30. Iuxta Græcorum computum, habebat ſiclus ſanctuarij 24. obolos, ſiue 4. drachmas; alter ſiclus erat vulgaris duarum drachmarum græcarum, Couar. loc. alleg. num. 9. verſ. 2. huc deducitur. Erat apud Hebræos & aurea moneta, ſolidus appellata, 1. Paral. cap. 29. cuius etiam meminit Ioſephus lib. 7. antiq. cap. 15. nominans eam ſtaterem, alibi & talentum dicitur, erat autem hic ſiclus, ſiue ſtater, ſiue talentum, quatuor drachmarum eiuſdem ponderis in auro, cuius in argento erat ſiclus ſanctuarij. Couarr. vet. numis. collat. cap. 3. n. 11. & ſeq. &c.

Apud Græcos etiam aurei vſitati fuerunt, vt patet ex hiſtorijs Græciſque authoribus, & Darium Perſarum regem, numos ex auro puriſſimo percuſſiſſe, refert Georg. Agricol. de pret. metall. qui darici dicti ſunt; pendebant duas drachmas, vt ex Xenophonte & Ariſtomenis interprete, docet idem Agricol. lib. 2. de pond. & temper. monet. aduerſus Budæum, qui vult daricum octo drachmarum pondus habuiſſe. In argenteis Græcorum numis res eſt expeditior. Inprimis enim fuit numus dictus ſtater, à græco *ἱστάναι*, quod inter alias ſignificat ponderare, eſt numus con

tinens

nens duo didrachma. Mameran. in ſupputat. priſcæ monet. num. 17. Veriſimile eſt ſtaterem valuiſſe ſeptem bacios germanicos cum dimidio, poſito quod numus, quem Gülden Thaler appellamus, vt ex conſtitutione Imperij eſſe deberet, florenus ſit: Didrachmum, media ſtateris pars erat, continens duas drachmas: Drachma in pondere erat quarta vnciæ pars, in moneta media didrachmi, continebat obolos ſex; obolus, vt apud Suidam legitur, erat 6. chalcorum, id eſt, æreolorum, chalcus vero 7. minutiarum, Græcis λεπτὸν quod manebat indiuiſum. Ex præſuppoſitis infertur obolum fuiſſe ſeptem antiquorum numorum germanicorum, vnumque numum adhuc diuiſum fuiſſe apud Græcos in ſeptem partes.

Apud Romanos erat dupondius, qui primis temporibus Marco Var. teſte, erat duarum librarum æris; dictus enim eſt à duobus ponderibus, quod duo aſſi pondia contineret, ſicut as vnam libram: & fuerunt hoc pondere cuſi numi, vſque ad primum bellum Punicum, quo, Reſpub. ſextentarios aſſes, hoc eſt duarum vnciarum fecit, manente eodem impoſititio valore. Dum Hannibal Italiam vrgeret, as vncialis factus eſt. Tandem lege Papirianâ, eodem valore manente, ſemunciales aſſes cuſi ſunt, prout colligitur ex Plinio lib. 33. cap. 3. Quemadmodum autem as vt pondus eſt, diuiditur in duodecim partes, quarum vna dicitur vncia, duæ ſextans, tres quadrans, quatuor triens, media aſſis pars ſemis, &c. Ita numus olim libralis, ad vnciam redactus, in duodecim partes, vt antea diuidebatur; Ita erat ſemis numus æreus, dimidius as, Triens tertia pars aſſis, cuius meminit Iuuenalis Satyra tertia.

Infœlix nec habet quem porrigat are trientem.

Quadrans quarta aſſis pars, qui & triuncis, olim dictus teſte Plinio d. c. 3. & inde dictus teruncius vt autor eſt Marcus Varro. Erant & viliores numi vt ſemuncia, vigeſima quarta pars aſſis, & ſextula non totius aſſis, ſed duodecimæ partis pars ſexta. Couar. loc. alleg. n. 4. cir. fin.

Ex argento numus erat Denarius, continens decem aſ-

ſes, vt Plin. & alij paſſim teſtantur; Quinarius quinque aſſibus æſtimabatur; Seſtertius quartam habebat denarij partem: Libella æquiualebat aſſi, vt hæc latius tractant Georg. Agricol. lib. 5. de pond. græ. Budæus lib. 5. de aſſe, & deducuntur pleraque ex Plinio d. lib. 33. cap. 3. Qua in re notandum æreis numis in ponderibus diminutis, denarij æſtimationem creuiſſe, vt poſtea valuerit ſedecim aſſibus, Quinarius octo, & ſic deinceps, vt apparet ex Plin. loc. alleg. Voluſio Mæciano lib. de aſſe. Vitruuio lib. 3. de architec. Militibus tamen ſemper argenteus denarius ſoluebatur; hinc apud Tacit. lib. 1. vbi de ſeditione Panonicâ agitur, conqueritur miles decem aſſes, intellige æreos, pro denario ſolui. Denique fuit à Romanis ſignatus numus aureus, qui ſimpliciter aureus dicebatur; an eiuſdem valoris cum ſolido? merito ambiges. Veriſimilior opinio videtur, quam tenent Budæus lib 3. de aſſe. Alciat. lib. 3. diſpunctionum. cap. 9. Georg. Agricol. lib. 2. de pond. & temperat. mont. Aureum ſolido maiorem eſſe ſeſcuplo pondere, quod quatuor aurei vnciam, ſex ſolidi vnciam continerent, ita vt ex Couarr. ſententia, aureus Romanus, & Hiſpanicus duplus, quem vulgò Dublon vocant, æqualis valoris ſint (*b*) vt patet ex cuiuſquè regionis numiſmatibus. (*c*) Ex conſtitutione Imperij de Anno 1559. §. Ferner dieweil etliche/ & de An. 70. in Comitijs Spiræ habitis, in §. Daß auch wir. (*d*) quem Carolus V. Cæſar primo cudit, eiuſdemque meminit Couarr. cap. 3. §. 1. (*e*) Conſtitutio Imperij de An. 1559. §. Ferner die Gülden. (*f*) hic ita appellatur, à valle Ioachimicâ, vbi primo cuſus fuit; initio quidem, in ordinatione Imperij de Anno 1551. §. Weiter ſo ſetzen. prohibitum fuit ſub pœna viginti marcharum auri puri, & amiſſionis priuilegij monetam faciendi, ne tales numi deinceps in Imperio cuderentur, quod Anno 1559. §. Nachdem aber. paululum mitigatum, & Anno 1566. in Comitijs Auguſtanis, §. Demnach haben wir. planè ab eo receſſum fuit, ordinatumq;. vt deinceps tam integri, quam diuiſi licitè cuderentur; impoſito valo-

re 68.

re 68. crucigerorum, ſiue ſeptendecim baciorum. (g) Conſtitutio Imperij de Anno 1559. vbi ſtatutum, vt cuderetur numus argenteus quindecim baciorum, ſiue ſexaginta crucigerorum: vnde & Gülden Thaler appellatus fuit; Item numus triginta crucigerorum (h) pars ſexta floreni vt habetur in d. conſt. de anno 1559. §. Zum dritten / in eâdem conſtitutione etiam mentio fit numorum, quorum duodecim florenum explent, ita etiam 24. numi florenum facientes cudebantur, qui tunc valebant duos cruciferos cum dimidio, & ideo exiſtimo in illorum medio poſitum fuiſſe numerum 24. hodie illorum 20. florenum explent. (i) Hic vel ſimplex eſt, quartam bacij partem, vel duplex, & ita medium bacium efficiens. (k) vulgò Pfennig/dictus à behanden / quod contractè veteribus pfanden/ velut Behanding/ latine manualis ob commoditatem & neceſſarium vſum. Wehnerus in ſuis obſeruat. in verbo Goldtgülden. verſ. Pantingus. Hic per totam Germaniam vniformis non eſt, vt liquet ex allegata conſtit. §. Tyroliſche Pfenning in §. autem Wirtzberger/affirmatur 168. numos Herbipolenſes efficere florenum, quos nunc appellamus nouos numos, eiuſdem valoris cum Wirtenbergenſibus, aliàs 252. antiqui, qui eadem conſt. Franconici numi appellantur. §. Frånckiſche Pfenning. florenum conſtituunt. (l) hoc nomine vocatur moneta leniuſcula & fermè in quaque regione facit medium numum; vnde & nomen ipſum traxiſſe veriſimile eſt, quod dicatur Haller / quaſi Halber / ideo d. conſt. in §. item Es ſol auch cuique habenti ius monetæ liberum relinquitur, ſecundum patriæ & loci conſuetudinem tales leuiuſculas ſortes fabricare, hac annexa conditione, vt marcha argenti puri 11. florenos & 5. cruciferos non excedat.

VI.

Huius autem rei numariæ cura, ad ſolum principem, hoc eſt Imperato-

rem ſpectat (*a*). Signi autem imprimendi copia, ſaluâ Maieſtate, Imperij ſtatibus, & ſubditis competere (*b*), vel ab ijſdem conſuetudine acquiri poterit (*c*): ita tamen, vt quiſque in imperio, præcellens hoc regale proprijs ſumptibus & impenſis exerceat (*d*). Propria authoritate, nullus, etiam bonam monetam cudere poteſt (*e*).

(*a*) l. 2. & ibi Dd. C. de falſa moneta. l. 1. §. cum ærarium. ff. de orig. iuris. Maieſtatis enim eſt proſpicere ne quid detrimenti Reſpublica patiatur, neuè pacata eius gubernatio perturbetur, quod vix ex alia re magis, quam ex moneta ſolet accidere. Nouella Leonis 52. Cum enim moneta ſit regula, ſi praua ea ſit, neceſſe eſt euenire illud, quod eſt apud Lucretium,

Deniqué vt in fabricâ, ſi praua eſt, regula prima,
Omnia mendosè fieri atque obſtipa neceſſe eſt.

Sic enim fiunt incerta cenſuum & poſſeſſionum pretia, quæ creſcunt perinde, vt creſcit moneta, teſte Angelo in l. Paulus. ff. de ſolutionibus. Purpurat. in l. cum quid. ff. ſi certum petatur. num. 17. Imperatore Maximiliano in conſtitutione de Anno 1570. §. Dieweil dann nunmehr/ꝛc. ſic ceſſat omnis permutatio, ſine qua, humana ſocietas conſiſtere non poteſt. Ariſtoteles 5. Eth. 8. l. origo in prin. ff. de contrah. emptione.

(*b*) Aurea Bulla t. 9. Von Goldt/ Silber/ item t. 10. Von der Müntz. conſt. imperij de Anno 1551. §. So haben

wir vns/ & de Anno 1559. §. Ferner & §. were es auch ſach.
(c) Mynſ. lib. 4. obſ. 24. Francis. Mar. q. 648. facit cap. ſuper quibuſdam. 26. extra de V. S. debet autem conſuetudo eſſe immemorialis, quod illa ſit, quæ ius ac priuilegium inducat, l. hoc iure §. ductus. ff. de aqua quotid. & æſt. can. hæc quippe, cauſſa 3. q. 6. can. conqueſtus. cauſſa 9. q. 3. An autem priuatis perſonis, hoc ius cudendę monetæ concedi poſſit, meritò addubitabis? Verius eſt, principem poſſe priuato indulgere, *nec reſcriptum ſubreptitium præſumi*, ſi motu proprio, vel cum clauſula, *non obſtante*, conceſſum ſit, argumento. cap. ſi motu. 23. de præbend. in 6. Budælius de re numar. lib. 1. c. 4. n. 5. (*d*) Ordinatio Imperij de Anno 1559. §. So ſetzen/ ordnen vnnd wollen wir. Item de An. 1570. §. Alßdann auch die Müntz Gerechtigkeit. Interim Didacus Couarr. c. 7. num. 5. de veter. numiſmat. collat. tradit totius orbis conſuetudine receptum, vt expenſæ deducantur, & nonnihil inde lucri percipiatur. Idem dicunt Innocent. Abbas, Immola & alij canoſt. in cap. quantum extra de cenſibus.

(*e*) Carolina conſt. crim. art. 111. §. Welcher aber der Müntze jhre rechte. arbitrariè illos punit, qui propria authoritate numos probos cudunt; Nec immeritò, in maieſtatem enim committit, qui eius aliquod ius, praua vſurpatione ſibi arrogat. Obrecht. diſ. de regal. num. 248.

VII.

Imperator itaque in vniuerſalibus comitijs monetæ bonitatem, tam intrinſecam, quam extrinſecam pręſcribit (*a*): Intrinſeca bonitas in liga, & pondere conſiſtit (*b*): extrinſeca, in valore impoſititio (*c*).

(a) Conſtitutio Francof. de Anno 1442. §. Jtem Wañ auch dem heyligen/ꝛc. Item de An. 1551. §. Nemlich als ſich bißher. de An. 1566. & de Anno 1570. & in ſumma Carol. V. in conſtitutione Norinbergæ, Anno 1524. §. Dergleichen hat der Münß. voluit, vt vniforme in imperio eſſet monetæ genus.

(b) Ren. Budel. de re numar. lib. 1. cap. 7. & communiter ita tradunt Dd. in l. Paulus. ff. de ſolutionibus, & in l. cum quid. ff. ſi certum petatur. Eſt autem Liga, ex definitione Gabrielis Biel, ſpecies mixturæ, vel gradus metalli, propter admixtionem vilioris materiæ, Galli appellant aloij, quod vocabulum etiam apud inferiores Germanos vſitatum, ſuperiores dicunt Gehalt/ vel Korn; Pondus Germanis eſt Gewicht/ Schrot/ vnde hæc verba Jm Gehalt vnd Gewicht/ aut Schrot vnd Korn/ wie ſie dargeben/ nihil aliud deſignant, quàm numos in eadem bonitate intrinſeca reſtituendos eſſe. Gail. lib. 2. obſ. 73. nu. 7. Eſt autem Liga duplex auri & argenti; auri precioſitas aſcendit ad 24. gradum, perfectius humanâ induſtriâ fieri non poteſt. Gradus hi vulgò appellantur caracta, vel etiam ceratia; vnum caractum diuiditur in duodecim grana: Argenti ſumma bonitas ad 12. denarios exſurgit, quorum vnus in 24. grana diuiditur; quæ diuiſionis ratio eſt eadem. ſiue enim aurum, ſiue argentum puriſſimum ſit, ſemper dicetur 228. granorum, quod nihil interſit, an 12. per 24. vel 24. per 12. multiplices. Aliqui monetales magiſtri computant per lotones & grana, & tunc ſumma tam auri, quam argenti bonitas eſt, ſexdecim lotonum. Verum quod hæc res paulò ſit obſcurior, explicandæ menti meæ ſubſeruient hæ Concluſiones.

CONCLVSIO I. Marcha eſt pondus, quod continet ſexdecim lotones, vt dixi ſupra theſi 4. idem vocabulum pro liga, ſeu precioſitate argenti, vel auri vſurpatur; & eſt vel vnius, aut plurium granorum, caractorum, denariorum, lotonum, &c.

II. Lo-

II. Loto aliquando ponitur pro pondere, vt iam di-ctum eſt, aliquando pro gradu bonitatis ipſius auri vel argenti, continens in auro 9. in argento 18. grana.

III. Idem eſt dicere, aurum eſt duorum caractorum, ſiue aſſeuerare, quod ſit vnius lotonis & ſex granorum; Nam tam benè duo caracta, quam vnus loto cum ſex granis, faciunt 24. grana.

IV. Similiter in argento paria ſunt, argentum eſſe duorum lotonum, & vnius denarij cum dimidio, vtrobique n. exſurgunt 36. grana.

V. Minima itaque auri bonitas vnius grani eſt, quæ aſcendit vſque ad 12. grana, quo caſu vnius caracti dicitur, & ita aſcendit ad 24. caracta. E. G. Si dixero, Marcha auri eſt vnius caracti, aſſeuero hoc aurum habere alterius metalli admixtas partes 23. & ſic deinceps, ſi dixero, argentum eſt vnius denarij, hoc affirmo, eſſe 11. partes in hoc argento alterius metalli.

VI. Quando in mixtura non prædominatur aurum, vel argentum, vix tale dicitur; ſed potiùs à potiore denominatur, ſi plura metalla mixta ſint, retinebit nomen metalli vulgò **Metall oder Glockenſpeiß**.

VII. Vnde rem deducendo ad praxin & exemplum. Thalleri imperiales ab anno 1566. adhæc fermè tempora, ſecundum imperij conſtitutiones fabricati, continent argenti puri denarios decem, & grana ſexdecim, vel 14. lotones, & grana 4. habent ergo denarium vnum, & 8. grana alterius metalli, ſi quis itaq; pro illis redderet thalleros 8. denariorum, qui videlicet haberent tertiam alterius metalli partem admixtam, non diceretur in eâdem bonitate intrinſecâ præſtare.

(c) Germanis, **in der Werdirung/werth/ geng / vnd geb/** æſti[illegible]n, **oder** valuation: ita vt deſcribi poſſit, quod ſit ſignatæ cuiuſque & ad pondus examinatæ laminæ prètium authoritate publica definitum; Hottom. de re num. c. 4. Sunt qui [illegible]iter hæc tractent, vt Gabriel Biel, Ioan. Aquil. Laud. Henricus Hornanus, Franciſc. Curtius; ſed

hæc

hæc bonis autoribus magis videntur conſona & ad mentem imperialium conſtitutionum redacta. Fateor Molinæum numi bonitatem intrinſecam, in valore impoſititio conſtituere, ſed hoc ſubtiliter magis, quam ad popularem forenſem vſum.

VIII.

Intrinſecam bonitatem metiuntur pede monetariorum, (*a*), qui cuique monetæ generi præſtitutus eſt (*b*); habitâ ratione metallorum, quorum in Europa & plerisque alijs mundi locis, pretioſiſſimum aurum eſt (*c*), poſtea argentum (*d*), denique æs ſiue cuprum (*e*).

(*a*) Germanis appellatur Fuß/ deſcribi poteſt, vt ſit miſcendorum metallorum ex imperij conſtitutione præſcripta proportio. Hic pes eſt duplex, vnus eſt aurifabrorum ſecundum quem tenentur ſua aurea & argentea vaſa conficere, de quo eſt conſtitutio Imperij, de Anno 1548. §. Dieweil dann auch das Silber/ item in Ordinat. Francof. Anno 1577. tit. Von Goldtſchmieden/ alter noſter monetariorum. (*b*) ita Ducatorum pes eſt 23. caractorum, & 8. granorum, continetque marca Colonienſis. 67. partes, conſtitutio Imperij de Anno 1559. §. Ferner dieweil. Aureorum florenorum 18. caract. & 6. gran. marca Colonienſis 72. habet. Ord. Imperij de An. 59. §. Ferner die Gülden Müntz. Thallerorum pes eſt 14. lotonum, granorũ 4. ſiue 10. denar. & 16. gran. horum octo debent marcam ponderare: Conſtitutio Imperij de Anno 1566. §. Dem-

nach

nach haben wir. Florenorum vulgò der Gülden Thaler Fuß eſt 14. lotonum, 16. gran. ord. de Anno 59. §. Zum erſten/ eadem eſt ratio medij floreni, numi ſextantis vulgò Schreckenberger/ & vncialis vulgò fünff Kreutzer/ d. conſt. §. Zum andern/ & §. Zum dritten.

Inferiorum numorum pes eâdem conſtitutione ordinatus reperitur. (*c*) vnde hæc auro præſtantia concilietur non ſatis videtur exploratum: pulchra quædam, & ad propoſitam quæſtionem pertinentia, congerit Chaſſan. in Catalogo Gloriæ mundi. p. 1. conſid. 61. & ſeqq. item p. 5. conſ. 31. & part. 12. conſid. 95. Franciſcus Picus Mirand. Comes, in libello de auro tum æſtimando, &c.

(*d*) Hoc auro ſemper vilius habitum; olim Darius Rex, vnum auri talentum, 13. argenti æſtimauit, vt eſt apud Herodotum. Hipparchus apud Platonem, aſſeuerat, vnam auri portionem eſſe duodecim portionum argenti. Romani cum Ætolis paciſcentes, vt eſt apud Liuium 38. lib. pro decem argenteis, aureum vnum recipiebant. Imperante Sergio Galba, vnam auri partem 12. & dimidia argenteis valuiſſe, colligitur ex Suetonio: tempore Plinij quindecim argenti libræ, æquiualebant libræ auri, vti ex eodem lib. 33. cap. 3. colligunt Budæus lib. 3. de aſſe Couar. cap. 3. Arcadij & Honorij temporibus vna auri libra 14. argenti æſtimabatur, prout accipiunt l. vnic. C. de argenti precioſ. lib. 10. Molin. tract. de vſu. n. 779. Anton. Auguſt. lib. 2. emendat. cap. 8. Georg. Agric. lib. 1. de pret. metallorum tradit ſuo, hoc eſt, noſtro fermè æuo auri partem vnam vndecim, & tertia vndecimæ argenti partibus emi.

(*e*) Ex his tribus metallis etiam iure ciuili recte moneta cuditur. l. lege 9. §. eâdem lege. ff. de l. cor. de falſis.

CAPVT II.

De

Quæſtionibus in hoc genere occurrentibus.

Thesis I.

IN hâc materiâ, Molinæo ipſo teſte, Doctores multum confusè, & perplexè loquuntur; dum ſæpè, inuolutis ſuis diſtinctionibus, non ſemper aperiunt, de quo valore extrinſeco, vel intrinſeco, ſingula diſtinctionum ſuarum membra intelligant.

II.

Quare vt ordine, & luce aliquâ procedamus, dicimus omnes in hoc genere quæſtiones, vel circa obligationem genericam, vel ſpecificam verſari; quod omnis certæ quantitatis obligatio, vel generis ſit, vel ſpecierum.

III. Ob-

III.

Obligatio generis eſt, vbi promiſſio fit ſub nomine aliquo collectiuo, puta, fatetur Titius, ſe debere mille libras ſterlingorum, Flandricas, Turonenſes, mille Thalleros communes, mille florenos Rhenenſes, Brabantinos. Menoch. conſilio 48. n. 15. Brun. de augmento & dimit. decl. 17.

IV.

Si in obligatione ſit, Titium mutuo vel in dotem accepiſſe mille florenos, eosq; ſibi numeratos eſſe in quingentis Thalleris imperialibus, nec additum, in eodem monetæ genere reſtitutionem faciendam eſſe, obligationem genericam permanere, affirmamus. Weſenb. conſilio 38. n. 76.

V.

Cuius rei effectus eſt, vt poſſit in hac, non ſecus ac in alia quauis generica obligatione, debitor in probâ mo-

netâ ſoluere, l.2.¶. 1. ibidem Gloſſ. Bartol. Bald. Alex. Iaſon. Decius. Socin. Franciſc. de Aret. Zaſius, Coſtalius, & communiter Dd. ff. ſi certum petatur.

VI.

Anne etiam in minutis numis?

Ita viſum fuit Mol. in tract. de vſuris. q. 99. ſed contrarium, maximè ſi ſumma magna ſit, iuri & æquitati videtur conforme: ita Ord. Imperij de anno 1559. ¶. Die jetztgemelte, habet, non compelli creditorem, ſupra viginti quinque florenos, in moneta quinque crucijs minore, acceptare: Pfenningos, vel halleros, eiuſdem conſtitutionis vigore, planè recuſare licet.

VII.

Stante obligatione genericâ, ſi contigerit, manentibus numis in antiquo valore, florenum vel libram debitam mutari; E. G. Florenus, qui Francofurti valebat 14. bacijs, nunc comprehendit

hendit 15. in faciendâ ſolutione, æſtimabitur florenus, prout erat tempore contractus; Carol. Molin. in tract. de vſur. n. 744. verſ. Quemadmodum autem. Eſt enim florenus, libra, vel aliud collectiuum nomen, reſpectu numorum, tanquam menſura, quæ ſi varietur, poſt contractum factum; venditor nihilominùs debebit metiri illâ, quæ, dum contrahebant, in vſu erat. l. ſemper. 24. ff. de R. I.

VIII.

Eadem eſt ratio, ſi florenus ſecundum partes augeretur vel minueretur, E. G. Florenus conſtat quindecim bacijs, quorum vnus valet 16. antiquis, ante ſolutionem, excreſcit eorundum æſtimatio, vt valeant 18. antiquis, eo nihilominùs manente, vt 15. tales florenum expleant, ſolutio iuxta tempus contractus iure fiet; Carol. Molinæ. loc. alleg.

IX.

Quod ſi librarùm aut florenorum quantitate firmâ manente, numorum corpora intrinſecè mutentur, ſoluenda eſt bonitas, quæ fuit tempore contractus, communem refert Alb. Brun. declarat. 6. n. 2. Couar. de vet. numiſ. collat. cap. 7. ¶. vnico. n. 2. facit text. in l. cum quid. 3. ff. de reb. cred. Huius rei ratio videtur, quod in obligatione præſenti & pura, ad nullam aliam intrinſecam bonitatem, quam quæ tunc cognita erat, cõtrahentes reſpexerint.

X.

Sic in mille florenis legatis, nec tempus mortis, nec ſolutionis, ſed conditi teſtamenti, mutato intrinſeco valore, inſpiciendum erit; hoc enim legatum videtur quod eo tempore quo teſtamentum condebatur, exiſtebat. l. vxorem 41. ¶. teſtamento. ff. de leg. & fideicom. 3. ¶. Euerh. Præſes conſil.

105. communiter Dd. in l. cum quid. 3. ff. ſi cert. petatur.

XI.

Sic in ſententia & Laudo, monetâ intrinſecùs mutata, non tempus executionis, ſed ſententiæ inſpiciendum eſſe Dd. communiter adſtruunt. Oldra. conſil. 13. Brun. parte decima. Fran. Curt. in tract. de monet. n. 19. v. ſexto quæro. hoc intellige, niſi condemnatio fieret ex aliqua antecedente obligatione, eo caſu, quo tempus ſolutionis ſolet inſpici. Gabriel. lib. 3. t. de ſolutionib. & liberat. concluſ. 6. Alber. Brun. decima part. n. 2.

XII.

In obligatione, quæ vel ex die, vel euentu pendet exiſtimamus ſolutionis tempus ſpectandum eſſe.

XIII.

Sic ſi leges, aut ſtatuta mentionem faciant, alicuius pecuniæ in genere,

certo die, aut euentu ſoluendæ; veluti ſi imponatur capitatio vnius floreni per decem continuos annos dandi, Brun. de monet. augmento limit. 7. vel pœna certorũ florenorum in tranſgreſſores huius vel illius edicti ſtatuatur; vel de conſtituto ex publico ſalario quæſtio ſit, tradunt interpretes ſolutionem fieri poſſe in moneta intrinſecè mutata, illamq́ue ſententiam dominos Aſſeſſores in Camera amplexatos, atteſtatur Mynſing. cent. 4. obſ: 15. idem tenent Brun. par. 7. Milis in repertor. in verbo pecunia.

XIV.

Quid dicendum in annuo reditu? Cõmunis opinio voluit, tempus contractus inſpici: ſed ab hac tam poſita ante à nobis regula, quam egregiorum Iure conſult. authoritas, deducit, ita poſt Romanum Geminian. & alios defendunt. Molin. q. 90. & ſeq. q. 100.

n. 809. Menoch. conſilio 49. nu. 23. & 24. quaſi per tot.

XV.

Hæc de mutatione intrinſecâ ſtante obligatione genericâ. Si extrinſeca mutatio accidat, numerabitur pecunia prout tempore ſolutionis currit; Brunus declar. 6. Zabarell. in clement. ſi beneficium. q. 14. de decimis. Gabriel. in comment. com. concluſ. titulo de ſolutionib. & liberat. lib. 3. concluſ. 2. qui infinitas huius ſententiæ habet authoritates: quod tamen tunc fallit vbi debitor in morâ eſt. l. quod te. 51. l. vinum. 22. ff. ſi cert. pet. l. ſi ex 25. l. nemo. 82. ¶. 1. ff. de verb. oblig.

XVI.

Quando in alium locum deſtinatur ſolutio, quam vbi contractum eſt, non inelegantis diſquiſitionis eſt, an debeat attendi valor numorum loci contractus, vel loci ſolutionis; ſit ex-

emplum: duo mercatores contraxerunt Coloniæ, de ſoluendis mille libris Flandricis, in nundinis Francofurti, promiſſor vult ſoluere, ſed prout moneta currit Francofurti, Imperialem pro tribus florenis, ſtipulator non alio modo vult accipere, quam pro floreno cum dimidio. Quæritur quid iuris?

Reſpondetur, Francofurtenſis æſtimatio præualebit. Dd. in l. vinum. 22. in fin. ff. ſi cert. pet. l. hæres abſens. ibidem Bald. Angl. Alberi. & alij. ff. de iudicijs. l. 2. ff. de bonis auth. iud. poſſ. Contraxiſſe enim quis videtur in illo loco, in quo vt ſolueret, ſe obligauit. l. contraxiſſe. 21. ff. de oblig. & act.

XVII.

Hæc de obligatione generis. Ad ſpeciem obligatur quis dupliciter: primò & principaliter, ſi promittat ſe ſoluturum tot Thalleros, Ducatos, in

ſpecie, in eadem bonitate, ſicut ſibi dati fuerunt, vel tempore contractus currebant, In der Werdirung/ vnd in dem Gehalt/ wie ſie dargeben oder verſchrieben. hoc caſu contractus tempus inſpiciendum eſſe, vnanimis fermè Doctorum ſententia eſt, Hoſtien. Panorm. Ioannes Andr. Antonius de But. in cap. Quando. ext. de iureiurando. Ioannes Aquil. in tract. de monetis, cap. 3. in fin. Laud. de monetis nu. 10. Brun. declar. 16. Contractus enim ex conuentione legem accipiunt. l. 1. ¶. ſi conuenerit. ff. depoſiti. l. contractus. 23. l. ſemper. 34. ff. de R. I.

XVIII.

Sed an hoc caſu non liceat in aliâ monetâ ſoluere? iure hoc licere, negant Interpretes. l. 2. ¶. 1. ibidem Gloſſa. Bart. Baldus. Iaſon, Socinus, Alexand. Decius Franciſ. de Aret. Zaſius, Coſtal. &c. Boërius deciſion. 337. ex eo

quod Thalleri vel Ducati in obligatione ſint, nec aliud pro alio inuito creditori ſolui poſſit. l. ſi ſe non obligauit. 4. ¶. ait Prætor. 3. ff. de re iud. l. promiſſa. ¶. fin. ff. de conſtit. pecun. Licet conſuetudine quaſi totius mundi receptum tradant, vt vna pecunia rectè pro altera ſoluatur. Dd. in d. l. 2. ¶. 2. ff. de reb. cred. Quod nobis nec à iure communi alienum videtur; reſpondit enim Paulus, rectè in aliâ monetâ ſolui, ſi creditor nullum inde damnum patiatur. l. debitorem aliàs creditorem. 99. de ſolutio.

XIX.

Quando ſpecies æſtimata debetur jeden Reichsthaler zu zween Gülden gerechnet Fränckiſcher Wehrung. Veriùs eſt, ſi verba talia taxatiuè ponantur, ſatisfieri, ſi non ſpecies, ſed earundem facta æſtimatio ſoluatur. l. cum dotem. C. de iure dotium. l æſtimatis. 50. ff. ſoluto ma-

to ma-

to matrimon. Gabriel. lib. 3. de ſolut. concl. 2. num. 1. Leoninus concilio 31. num. 7.

XX.

Quod ſi ſimilia verba demonſtratiuè ſolũ adijcerentur, vt in caſu formato à Boërio deciſ. 327. vel ſi ita in obligatione eſſet poſitum, **Obgemelte Tauſent Thaler an guten/ gantzen/ vnuerſchlagenen/ vnuerbottenen/ vollwichtigen/ harten/ vnd im Heyligen Reich gengen/ vnnd geben Reichsthalern**; in ſpecie **widerumb zuerlegen/ vnd zuerſtatten/** non obeſſet antea facta æſtimatio. Ren. Bud. lib. 2. de monet. & rè numar. cap. 4. n. 13.

XXI.

Secundò poteſt quis ad ſpeciem obligari, licet ad numerum non ſit aſtrictus; veluti ſi in inſtrúmento obligationis ſit, reddendos mille florenos in ducatis, vel in thalleris. Hoc caſu facienda ſolutio eſt, iuxta bonitatem intrinſecam, quæ erat tempore contra-

ctûs & extrinſecam tempore ſolutionis. Ren. Budel. loco alleg. cap. 8.

CORONIDES.

I.

Reipublicæ vtilius eſt, ex ſolo ære, quam ex ære argento mixto, vſuales numos cudi. Georg. Agricol. lib. 1. de pret. monet.

II.

Ex auro chymico tanquam probatiſſimò, numos fieri poſſe aſſerimus. Ioannes. And. in additionib. ad Speculat. rub. de crim. fal.

III.

Quando ob monetæ augmentum extrinſecum, rerum pretia creſcunt, in rei veritate, res cariones non fiunt. Vide paradox. Domini de Maleſtroit. de re num. & Tract. Ioan. Bodini aduerſus eundem.

IV.

Auri argentiq́ abundantia, omnium rerum caritatem inducit.

V.

Inconſiderate VVehnerus, in pract. obſer. in verb. Goldtgülden *tradit*, lötig Silber *eſſe* fein rein Silber/ damit man löten kan. *Quod puro argento nulla ferruminatio fieri poſſit; quare, noue, non tamen minùs verè dicimus*, lötig Gold oder Silber *inde nominari, quod habeat præſcriptos lotones.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE